

secundum Privilegia, a predecessoribus nostris eisdem concessa, nobis fidelitatem debitam obseruarent. Quorum uotis benigno concurrentes assensu, habito diligenti nostrorum principum consilio, decreuimus promittendum, ac promissum obseruandum, quod conuentionem, quam carissimus frater noster felicis memorie Rex Colomanus cum eisdem maturius ordinauerat, ratam haberemus et firmam, et effectui sepius per eosdem postulata faceremus mancipari. Cuius conuentionis serie continetur: quod mediante fidei nostro homine, secundum consilium proborum uirorum in Jadra existentium, tantam summam pecunie, qua destructio muri, uel ruina ex parte maris ad nostrum commodum et honorem ualeat reparari, dare tenemur. Et insuper terram iacentem a Nedyri usque Reguna, preter illam, quam modo possident; item superius usque ad martindam in mare, preter terram pertinentem ad Comitatum Nonae, et terram Jubil, que est Hospitaliorum, quas eisdem non contulimus. Predicti uero Jadrenses debebunt nobis et successoribus nostris seruicia camere regie communiter exhibere, secundum quod auo nostro inclite recordationis Bele regi seruicia et fidelitatem seruauerunt, salva libertate, quam ab eodem Bela habuerunt. Ut igitur dicte rei series inconcussa permaneat, litteras nostras eisdem concessimus auree bulle nostre impressione roboratas. Datum in Clitia per manus Venerabilis Patris Stephani Vaciensis Episcopi, eodem Vaciense in Archiepiscopum Strigoniensem, Benedicto Albensi preposito in Archiepiscopum Colocensem postulatis, Reuerendo Bartholomeo quinque Ecclesiense, et Bartholomeo Vespriensiense, Stephano Zagradiense, Episcopis, et alijs Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Arnaldo Palatino et Comite Simigiense, Dionisio Bano, Laurentio Voyuoda, Matheo tauarnicorum nostrorum, Railando dapiferorum nostrorum magistris existentibus et alijs magistratus et Comitatus Regni nostri tenentibus. Anno ab Incarnatione Domini millesimo Ducentesimo quadragesimo secundo, Regni autem nostri anno septimo.

Ex Msc. Pactorum libro primo, pag. 173, in Archivo-Viennensi.

III.

Anno 1248. In insula Leporum.

Maria Regina hospitibus in Virovitica privilegia tribuit.

Maria, Dei gracia Regina Hungarie, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam posteris, presentem paginam inspecturis, salutem in salutis auctore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod nos hospitibus nostris de Vereuche congregatis et congregandis eandem libertatis condicionem duximus ordinandam, quam hospites de Sugust ex Regie benigni-